Orłowski Matthaei Cas: Laurus Academica in Divi Jagellonis Parnasso revirescens.

LAVRVS
ACADEMICA
IN
DIVI IAGELLONIS
PARNASSO
REVIRESCENS:

Ex Eximijs V. Adolescentibus:

Dum Primâ in Artibus & Philosophia Laureâ.

PER EXCELLENTISSIMVM AC DOCTISSIMVM DOMINVM,

M. IOANNEM MACHATAR;

DE VISCHOVIA MORAV:

Artium & Philosophiæ Doctorem & Professorem Coll: Min: redimerentur.

A

MATTHÆO CASIMIRO ORŁOWSKI, eiusdem Laureæ Candidato.

Amoris ergò

PRÆSENTATA.

Anno D. M.DC.L.VIII. Die

Permissu Superiorum.

232.

IN GRABIANOVIANÆ DOMVS INSIGNIA.



Clausa patent, dum CLAVIS adest; obscura videntur.
CLAVIS adest meritò nobile STEMMA Tuum.
Nam reserat Nobis, patefactaque limina reddit;
Ad quodcunque placet, laudis & artis opus.

Joannes Martinus Orłowski,
St. Pòës.

Limina, quæ reserat, cæli PETRO data, CLAVIS
ANDREÆ nostri Symbolon illa quoque est.
Cur? quia quo Sacros nuper prensauit honores
Hoc Frater PETRI tempore factus erat.

Petrus Stanislaus Orłowski,
St. Pòës.

CLARISSIMO ET ADMODVM RNDO DNO,

D. M. ANDREÆ GRABIANOWSKI,

I.V.D. & Professori, Prothonotario Apostolico: Ecclesiæ Collegiatæ SS. OMNIVM. Crac. SCHOLASTICO.

Domino & Patrono Colendissimo.

REuirescentem offero Tibi LAVRVM, CLARISSIME ET AMDVM RNDE DNE: *quæ his annis propter hostilem Aquilonaris frigoris acerbitatem ita obriguerat, vt quantum fœcunditatis vigor illius anteactis temporibus ad tempora* CANDIDATORVM *exornanda attulerit, tantùm sterilitatis hostilitas hoc triennali cursu intulerit.* LAVRVM *inquam offero, quam animus beneficijs mancipatus in munificentissimũ* PATRONVM *à me propè iure suo vendicat: vt cuius liberalitatis flumine irrigata ad hunc peruenit virorem, in eius sinu vel amico potiùs pectore locaretur, per cuiusq; adoleuit subsidia, in eius tanquam hæreditaria promptissimè veniat obsequia. Tua hæc, non mea, quam Tibi deuoueo,* LAVRVS *est: quia effusissimo liberalitatis animata rore adolescit; adolescentq; maturiùs & meliùs tot aliæ, quot capita* LAVRO *apud Te aptantur. Præstò sunt obsequentissimi, qui Tuum latus cingunt, Clientes, quos fœcundo licèt rebus cæteris,* LAVRIS *tamen sterili Podlachiæ solo enatos, in Tuo benignissimè plantatos, effoues agro, Academicoq; irrigatos fluento, ad decus Ecclesiæ, subsidium Patriæ, ornamentum* ACADEMIÆ, *Tuum Tuorumq; omnium solatium mirâ metamorphosi in* LAVROS

ROS *transmutas. Quis igitur Te non tantùm rediuiuum iam Mæcenatem, sed viuum, literarum & literatorum Patronum non diceret? quis vel ad solam vocis commemorationem in Tui non raperetur amorem? quis in Tuum non rueret obsequium? Cùm & mea* LAVRVS *Tuis plantata manibus, in Tuo Viridario, calore & rore, id est, affectu & liberalitate innutrita ad Te sese proripiat: quæ grati animi tributum soluit, & exsoluit debitum. Et quamuis Tua virtus sola sibi laus esse possit, & debeat, nulloq; vocis alienæ præconio indigeat, quia omnium diuulgata sermonibus, & omnium commendata laudibus est, tamen quia officij mei est (Tuus enim Consobrinus & Cliens sum) vt nouam honoris accessionem, non modò tacito quodam internæ mẽtis sensu complectar, sed in luce communi, in amplissima Clarissimorum Virorum corona, quàm honorificentissimé deprædicem, non debes mihi succensere. Meruit enim hoc ipsum Tua effusissima, quam in Deum Diuosq; exhibes pietas, meruêre assidui labores communis boni causâ in hoc florentissimo Regni Nostri Lyceo suscepti; meruit indefessum in arduis Ecclesiastici Tribunalis negotijs studium. Loquentur illud tot pupilli, quos ab oppressione aliorum vindicâsti; celebrabunt tot Ecclesiarum Præsides, quos ab impetitione maleuolorum liberâsti; Iura ipsa immunitatesq; Ecclesiasticæ cælitus pæne Te sibi datum vindicem & Patronum memorabunt. Quamobrem viues æternùm* CLARISSME ET AMDVM RNDE DNE, *& dextrâ Tuos annos computabis: Quod dum ego Tibi voueo & ominor, debitam Tuo nomini non tamen dignam quam offero,* LAVRVM, *meæ gratitudinis & obseruantiæ argumentum, vt vultu sereno aspicias, & benigno sinu excipias, maiorem in modum oro & obsecro.*

CLARISSIMÆ ET AMDVM RNDÆ DNATIONIS,

humillimus Cliens

MATTHÆVS CASIMIRVS ORŁOWSKI,
Primæ Laureæ Candid:

Clarisſimis & Excellentisſimis Dominis EXAMINATORIBVS,

GRATITVDO.

VIRTVTIS in ſe ſit licet abdita
Omnis venuſtas, nec pretium ſui,
Dotemque maiorem ſeipsâ
Nouerit emineatque ſemper.
Externa quamuis lumina neſciat,
Amat probari per rigidos tamen
Stoæ labores; erudito
Puluere continuiſque gaudet
Ad ſumma curis culmina prouehi,
Arctum Stagyræ nec timet inclytæ
Examen, vnde laureati
Materiem ſibi nouit amplam
Inſtare honoris. Noſtra per arduum
Sic ducta callem, poſtque pericula
Virtus triumphat, quam togatæ
Tergemini Proceres coronæ

Multùm probaſtis, corda Patrum pia
Monſtrando nobis; ceu teneris ſolet
Colonus arbuſtis, nouellæ
Ceu ſegeti benè docta parcit
Manus Dametæ: ſole ſub aureo
Veſtri fauoris creuimus, inclytæ
Solamen in Matris, nouiſque
Cernimur ecce comas virentes
Per Vos Coronis ferre; quod omnibus
Tenemur omnes reddere Gratijs:
Quod pectoris grati tributum
Ad cytharam ſaliente chordâ
En laureato carmine ſoluimus,
Eburque noſtrum Vos ACADEMICOS
Inter penates, & POLONI
Per Cathedras reſonet Lycei
O eruditi ſydera climatis!
Celſum Stagyræ STELLANOVI caput
Decus RADIMINSKI Sophorum
Deliciumque Lyræ IODŁOVI
Lucete Muſis, & Cathedris diu,
Veſtrique latè gloria nominis
Corruſcet, à Vobiſque lucem
Participet Studioſa pubes.
Æterna Vobis cedrus in intimis
Surget medullis; viuet honoribus
Laus Veſtra noſtris, perque totum
Sarmatiæ reuireſcet orbem.

Ad

Ad Excellentiſsimum ac Doctiſsimum Dominum, PROMOTOREM.

NOn freta mercator, fortis non claſſica miles
Vnquam pertimuit; neque
Læues Athletas, tragicæ percellere luctæ
Poſſunt: præmia gloriæ
Si dantur: velut his qui vincunt, Laurea Victrix
Qui remis freta ſcindere,
Naualis: demùm qui muros ſcandere nôrunt,
Muralis datur inclyta.
Ad Te nos etiam tandem DOCTISSIME votis
Imus, præmia conferas.
Exigit hoc non empta fides, non munere LAVRVS
Fæcundata; ſed ardua
Ipſa ſuo Laurûs pro pignore pugna laborat,
Certamenque ſuam petit
Palmam; Cur renuis? nobis cur præmia differs
Cui DIVVS nitidas tegit
Ipſe comas; cui docta benigno tempora PALLAS
Serto cinxerat. E poli
Poſtquam Te MORAVI fixo de cardine mouit.
Et curanda dedit Tibi
Podlachiæ, quæ BIAŁA fouebat, pignora prolis
Tandem fronde caput tege.
Clarius inſomni donum conferre labori
LAVRO non peteris Sophus.

LAV-

LAVRVS amata Dijs: laurum nec fulmina tangunt,
LAVRO tempora cingito.

V.D. ALBERTO CHEŁPOWICZ

NOn quæcunq; botros fert humus vtiles,
Vernanteſque roſas parturiunt agri,
Agreſtes etiam prodere ceſpites,
Hirſutiſque ſolent texere vepribus.
Tantùm mens Becijs nata penatibus
Natiui retinet Symbola Spiritûs;
Quos naſcens genijs indiderat ſuis.
Hinc CROMER ſapiens Hiſtoriographus,
Hinc PIOTROVICIVS noſtræ Academiæ
Lumen; quàm celebres Sarmatiæ viri!
Quid reſtat? faciles ſunt tibi ſemitæ,
Sunt exempla Virûm, ſunt animi bona,
CHEŁPOWICZ meritam iam cape Lauream,
Quam verus ſtimulis hinc amor, hinc labor
Iampridem meruit; perge fauentibus
Ad Summum Superis, tollito ſpicula,
Tanges propoſitam ſydere proſpero
Metam in doctiſonis artibus, inclyta
Pallas iure Tibi tum Themis hoc vouet,
Et præſtans animus dotibus ingeniî.

V.D.IA-

V. D. IACOBO STANISLAO ZELAZOWSKI.

HVccine Sacrati progreſſa cupido vireti
Torreat vt mentes laudis amore ſuæ?
Nauales alij contemnunt ſpontè Coronas
Martius & nihili, iubila miles habet
Cunctos LAVRVS amat; lauri ducuntur amore
Omnes, nec curis debilitatur amor?
Vis exempla virûm? Tu ſufficis omnibus vnus,
Quem lauri traxit gloria magna Sacræ.
Bellorum poſitis ſignis vexilla Mineruæ
Sumis, nec timidus ſæua perícla fugis.
Viue ſine inuidia! binas Tibi iunge Coronas
Dignus es, & ſocios iam Tibi iunge pares.
Symbola virtutis generoſo pectore geſtas,
Symbola quis ſerto denegat iſta Tuo?
Hauris dulciloquo Stagyræos ore liquores
Es Sophiæ caſto dignus adeſſe choro.
Eſtque Corona Tibi Victrix; eſt LAVREA; tantis
Pro meritis, prompto præmia digna Viro.

V. D. THOMÆ CHRZASZCZEWICZ.

VT tenax totis trahit omne ferrum
Viribus Magnes: animos modeſtis
Sic trahit quiſquis ſuperat placendo
Moribus omnes.

 CHRZA-

CHRZĄSZCZEWICZ doctam face comitatis
Palladem flexâ ſuperas & artè
Ritè quæ cingit Tua deſtinatis
Tempora ſertis.
Semper hâc mentes poteris ferinas
Frangere, & ſemper celeres morari
Impetus, cedet Tibi blandienti
Ira Leonis.
In Tuo vultu ſpecies modeſtæ
Excubat mentis placidiq́ue mores
Emicant; ſcandes meritum labore
Nomen honoris.
Ergò felici pede dignitatem
Scande, nos omnes Socios in arte
Herculis niſu ſuperabis, atq́ue
Præmia ſumes.
Temne, nec lapſum timeas, minacis
Negligas cautes pelagi; modeſta
Anchora eſt virtus animi, procellas
Deſpicit omnes.

V. D. FRANCISCO ROZICKI.

CLaudite Pierides Sacri Viridaria Montis
Ne vagus ad nares exſpatietur odor.
Eſt ROSA nectareos quæ latè fundit odores
ROZICKI; meritus quem comitatur honor.
Hæc ROSA multiplici folio redimita vireſcit,
Virtutis referens Symbola grata ſuæ.

Longi.

Longiùs ô vtinam floruiſſent iſta ROSARVM
Hortis in noſtris germina; quantus odor!
Sed cæli facies terreſtribus inuida terris,
Amænam nuper ſuſtulit enſe ROSAM.
Tu modò, dum locus eſt, animos aſſume volucres
Monſtres, an dignum nomen honore geras?
Ad magnos Dux eſt pietas tutiſſima virtus
Progreſſus; magnâ Tu pietate viges.
Eſt labor, eſt ardor; nimium Tua pectora frangunt
Anxietas animi, continuuſque labor.

V. D. MATTHÆO CASIMIRO ORŁOWSKI.

Primæ Laureæ Candidato.

IACOBVS STANISLAVS ZELAZOWSKI.

eiuſdem Laureæ Candidatus.

Amoris ergò

MArtia corda ferunt Alcidas robore firmo,
Docta ſolent doctos germina ferre Viros,
In validiſque Patrum virtus latet inſita tauris,
Non aquilam gignit blanda columba feram.
Quod Tua fata probant, ô noſtri portio cordis
ORŁOVI! Cytharæ lauſque decuſque meæ.

Quem GRABIANOVIO iunctũ cum sanguine scimus
  Ingenio magni & dexteritate Viri.
Quid mirum? subeas sua quod vestigia pone?
  Num procul à proprio stipite poma cadunt?
Et quia prima Tuæ donatur LAVREA fronti,
  Musa Tuum nobis participatque decus.
Immortale melos resonent mea plectra necesse est;
  Aut Tibi serta ferant fronde parata pari:
Fronde parata quidem simili Tibi serta dicabit:
  Immortale melos, nescit Apollo dare.

V. D. MATTHÆO CASIMIRO ORŁOWSKI.

Primæ Laureæ Candidato.

IOANNES ET PETRVS ORLOWSCII.

St. Pòés.

è diuite Fraterni amoris vena,

ODE DICOLOS TETRASTROPHOS.

QValiter riui remeant in amnes
Inque luctantes fluit omnis vndas
Spuma; sic nostri redit acris in Te
  Candor amoris.

Vt Ti-

Vt Tibi cuncti gradiantur anni
Celſus vt quouis Honor atque virtus
Emicet paſſu, medio librata
Degat in æquo.
Reddimus voces, animumque mentis
Candidæ teſtem, modò LAVREATAM
Palladis Myſtes Tibi comprecamur
Iure Coronam.
Tempus eſt dignâ proprios labores
Poſſit vt Pallas redimere LAVRO
Namque perfudit Tua ſæpè guttis
Tempora ſudor.
Perge maturos aperire partus
Ductor in rectis aderit IOANNES
CANTIVS, præſens aderit benigni
Dextra PATRONI.



Sub Felicibus Auſpicijs,

MAGNIFICI, CLARISSIMI, ET EXCELLENTISSIMI DOMINI,

M. FRANCISCI ROLINSKI,

Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris & Profeſſoris, eiuſdemq; Facultatis Decani, Conſulis Crac: & Studij Generalis Almæ Vniuerſitatis

RECTORIS

Vigilantiſſimi.

CRACOVIÆ,
In Officina, Apud Viduam & Hæredes Staniſlai Lenczewſki Bertut. A.D. 1658.